De6240
4°

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-13110/fragment/page=00000001

Ibnu-l-Farid
1958
2.50

Carmen Elegiacum

IBNU-L-FARIDI

cum commentario ABDU-L-GHANYI

e duobus codicibus

Londinensi et Petropolitano

in lucem edidit

et

Venia Ampl. Facult. Philos.
ad Imp. Alex. in Fennia Universitatem

p. p.

GEORGIUS AUGUSTUS WALLIN,
Linguarum Orientalium Docens,

in Auditorio Philosophico die 19 Octobris 1850.

h. a. m. c.

BIBLIOTHEK der Deutschen Morgenländischen Gesellschaft.

Aus THORBECKE'S Vermächtniss

Helsingforsiae,
Litteris Frenckellianis.

Aus
THORBECKE'S
Vermächtniss

BIBLIOTHEK
Deutsch-Amerikanischen
Gesellschaft

Edituro praescriptum legibus academicis specimen, duo inprimis mihi cavenda videbantur; alterum, ne iamdudum nota et vulgata recoquerem, alterum, ne nimio operis ambitu fines dissertationis academicae excederem. Utrumque his pagellis observatum volui. Quum enim plurima iamiam literarum arabicarum monumenta et antiquiora et recentiora, partim versionibus et notis exoticorum illustrata, partim commentariis indigenarum ornata, in Occidente nostro edita sint, e copiosis et egregiis Ibnu-l-Fâridi poematis, non nisi paucissima *) divulgata, et haec quoque ab editoribus mystico illo exuta sensu, quem Orientales, poetam nostrum Sophis annumerantes, carminibus eius indere amant. Sunt quidem inter Ibnu-l-Fâridi poemata, in Diwânum (h. e. collectionem) redacta a nepote ʿAly, multa, quae duplicem admittant explicationem, alteram mysticam quandam et occultiorem, alteram promptam et e claris poetae verbis prodeuntem, quibus quidem nostra annumeranda est elegia; pleraque tamen, eademque longissima et elaboratissima, sophicis omnino superinstructa sunt ideis et non nisi distortione quadam importuna alio explicari possunt modo. Hinc factum est, ut aliter alii poetam nostrum interpretati commentatores, amorem, cuius plerumque canit laudes, nunc sensualem

*) Exceptis poeseos Faridianae speciminibus, quae in chrestomathia sua Arabica publicavit illustris Silv. de Sacy, aliisque duobus, quorum in notis T. III. p. 131 sq. mentionem facit, quinque, ut videtur, occurrunt carmina poetae nostri in Anthologia Arabica a Grangeret de Lagrange edita. Cuius libri nunquam mihi copia fuit visendi; sed ex expositione, quam eiusdem facit Silv. de Sacy in Journal des Savans anni 1828 pp. 464 sqq. elucet, hancce quoque elegiam inter alias insertam esse et gallica versione excerptisque e scholiis indigenarum glossis explicatam. Tantum vero abest, ut in hacce eiusdem carminis editione curanda viam iam tritam ingressi fuerimus, ut potius nova lux huic poemati adferatur commentario a nobis iam in lucem edito, quippe quum nulla explicatione sophica, in qua praecipue elaborat commentator noster, editionem suam adornaverit Lagrange. Quid? quod ipsa eius versio, si e brevissimo, quod in libro citato eiusdem dedit Sacy specimine iudicare liceat, a nostra haud parum differat.

in amatricem et amicos, nunc divinum mysticumque in Numen Supremum declaraverint. Omnium vero celeberrimus apud hodiernos quoque Orientales recte habetur ʿAbdu-l-Ghany Nabulsius, qui perpetuis commentariis, titulo *Arcana et occulta in expositione poematum Ibnu-l-Fâridi revelata* inscriptis, omnia poetae nostri opera illustravit. In quibus commentariis quamvis grammaticas explanationes minime neglexerit, praecipue tamen ad mystica illa occulta et involuta, quibus Divinitatem regulasque vitae sophorum respicit poeta, eruenda et aperienda intendens animum, interpretationem ad praecepta et dogmata, quam profitetur, sectae sophicae ubicunque conformat. Cuius sectae doctrina quum minime adhuc in Occidente sit culta, operumque, praecipue arabicorum, eiusdem instituta et disciplinas tractantium non nisi paucissima in lucem edita, haec vero commentaria, quibus ʿAbdu-l-Ghany, ipse poeta, poetam celeberrimum illustrat, cum in obscurioribus explicandis copiosissima tum in sensu mystico eliciendo subtilissima, ad sophorum doctrinam dilucidandam haud parum conferre viderentur, subiit mihi cogitatio, totum Diwânum integris cum commentariis publici iuris facere, nullus dubitans quin uberrimas et philologicas et sophicas suppeditarent notitias, ad genuinumque Orientis characterem, a nostro immensum quantum diversum, penitius cognoscendum et ad philosophiae orientalis penetralia aperienda viam pararent expeditissimam. Sed immensae est molis opus, voluminibusque absolvendum, non libello, quem arctis dissertationis academicae limitibus circumscribi iubent res circumstantes. Quare maiora in futurum differentes, iucundissimam hancce nec iusto longiorem neque breviorem elegiam e poematis Ibnu-l-Fâridi electam integro cum commentario ʿAbdu-l-Ghany in lucem edidimus. Quamvis forsan non deerunt, qui commentarium nimis prolixum iudicent, et, quae in eodem ubivis insertae sunt, adumbrationes sophicas, vanas habeant et a proposito alienas, consultius tamen putavi, de via, qua vulgo progressi sunt editores speciminum poeseos Faridianae, deflectere, quam, excerptis in philologicum tantummodo usum factis, mutilatis et ex ordine serieque operis commentatoris distractis notis, carmen illustravisse. Textu igitur arabico e duobus inter se collatis codicibus restituto, manuque exarato nostra et arte lithographica multiplicato, ipsam elegiam versione latina interpretati, commentarium longiorem partimque intellectu faciliorem putavimus, quam qui totus et integer perpetua opus haberet explicatione. Ubi abstrusiorem vero et

obscuriorem indicet commentator mysticam doctrinam, vel verbis et loquendi modis utatur, qui Sophis peculiares sunt, aliaque quam apud auctores profanos gaudent significatione, vel illustrationibus nostris sensum reddere studuimus, vel ad libros hancce tractantes materiem delegavimus. Versus denique undequaque allatos, quorum insigni apparatu librum suum adornat commentator, eosdemque difficiliores et intricatos variasque interdum admittentes interpretandi rationes, vocalibus partim appositis et versione notisque saepissime adiunctis elucidavimus.

Duorum, quibus in hacce elegia edenda usus sum codicum alter, quem litteris C. L. insignivi, Londinensis est in Museo Britanico conservatus, alter, nota C. P. distinctus, Petropolitanus ex libris Musei Asiatici. Prior perspicua quidem sed negligenti conscriptus manu et in duo volumina in quarto divisus, perplurimis deformatus est lacunis et scribae erroribus; posterior uno conclusus volumine in folio, nitida vetustiorique exaratus manu, paucissima eademque leviora habet menda. Ubi alter ab altero vocibus periodisve omissis vel adiectis discrepat, quae mihi contextui aptissima videbatur, lectionem elegi, altera tamen in notis indicata. In locis paucissimis, ubi nec unus nec alter codicum mihi visus est sensum praebere, rem coniectura, ut in notis observavi, expedire placuit.

Quae de vita et meritis auctoris nostri 'Umaru-bnu-l-Fârid afferenda essent, ultro praetermittimus, quoniam nota sunt et in Ibnu-l-Khallikân *) ed. Wüstenfeld vit. 511 et in Chrestom. Arab.

---

*) Quum adhuc dissentire videntur arabicae literaturae peritissimi viri de sensu huiusce cognominis, quo celeberrimus hic orientis auctor innotuit, placet notiunculam commentatoris nostri originem eius explicantem afferre. In codice Londinensi haec verba legi: الشيخ شمس الدين المعروف بابن خلكان لقب له مركب من كلمتين خل بالخاء المعجمة وتشديد اللام فعل امر بمعنى اترك وكان فعل ماض لقب بذلك لكثرة قوله ذلك في كلامه لمن قال كان ابى او كان فلان فيقول هو خل كان فاشتهر بذلك فى كتابه المسمي وفيات الاعيان فى انباء ابناء الزمان Confer hosce versus e libro عنوان البيان inscripto et Boolaki edito: كن ابن من شيت واكتسب ادبا. يغنيك محمود عن الحسب. ان الفتى من يقول ها انا ذا. ليس الفتي من يقول كان ابى

a Sacy edita T. III, p. 130 leguntur. Brevissime tantum observabimus poetam nostrum natum fuisse Al-Kâhirae anno H. 576 vel 577, de quo consentiunt omnes, qui eius mentionem fecerunt excepto commentatore nostro, qui in loco quodam codicis Londinensis natalem eius annum H. 556 vel 566 esse statuit. De commentatore vero poematis nostri pauca admodum sunt, quae innotuerint. Ipse in praefatione, quam libro suo praefixit, genealogiam suam sic ducit: عبد الغنى بن اسمعيل بن عبد الغنى بن اسمعيل بن احمد بن ابراهيم بن اسمعيل بن ابراهيم بن عبد الله بن محمد بن عبد الرحمن بن ابراهيم بن عبد الرحمن بن ابراهيم بن سعد الله بن جماعة المقدسى النابلسى الشامي الدمشقى Cognominibus sub fine genealogiae sibimet attributis quatuor, de quibus cf. librum تهذيب الاسما auctoris النووى ed. Wüstenfeld p. 17, innuere videtur commentator se Nâbloosi, oppido ex iurisdictione Hierosolymarum pendente, natum, deinde Damasci, urbe Syriaca, partem vitae degisse. In adnotatione ligaturae codicis Londinensis adscripta legitur ʿAbdu-l-Ghany nostrum mortuum esse anno H. 1129 تاريخ وفاة الشيخ عبد الغني ١١٢٩. Alio quodam loco libri sui dicit se anno H. 1091 sacris manibus Sophi celeberrimi Muhii-d-dîn oden composuisse: si igitur hisce indiciis addenda est fides, coniecturâ statuere licet ipsum inter annos H. 1070—1129 vixisse. Ceterum in libris et codicibus, quos consultare licuit, nihil inveni quo, vita eius illustraretur.

Videtur poeta hancce elegiam composuisse circa annum H. 629, quo, ut narrat ʿAbdu-l-Ghany, post peregrinationem sacram Mekkanam, in Aegyptum reversus erat. Dicit nepos ʿAly, in praefatione Diwâno praefixa, avunculum in hacce peregrinatione loca sacra in desertis, Mekkam ex omni regione circumiacentibus, sita visitandi consilio ex urbe egressum, per temporis quoddam spatium solum in montibus et arenis, divinarum rerum contemplationi intentum, vitam duxisse anachoreticam. Heic accuratam illam et specialem sibi paravit notitiam deserti et terrae sacrae Alhigâz, quae ubivis ex operibus eius et ex hac quoque ode elucet. Memoriâ locorum, quae visitavit, et amicorum, quos sibi Mekkae

---

Videtur haec gloriandi locutio apud antiquiores Arabes eodem frequenti usu esse recepta, quo inter nostri aevi Arabes locutio انا ابن ناس aut فلان ابن ناس

adiunxit, voluptatisque religiosae, qua in ritibus peregrinationis sacrae persolvendis exsultant Islamitici, fulgoris instar, animo poetae, in patriam iam reversi, oblatâ, ecstasi proreptus locis et amicis, quorum tenetur desiderio, se redditum putat; mox vero ad se rediens lingua utitur sermoni amatoris dilectam longe absentem vehementer desiderantis haud absimili, flebilique canit elegeia:

"Fulminisne ictum per fragosas deserti arenas, an lucernam video in collibus terrae Negd? En Leila 'Amirensis est, quae vespere vultum detegens, tenebras noctis in lucem commutat aurorae. Heus robusto qui veheris camelo (Deus te sospitem reddat), quum, peragratis deserti salebris et arvis, quae subinfluunt torrentes, glareosis ad terram Na'mân arboribus Arâk consitam perveneris, flecte viam in vallem, quam quondam visitavi, spatiosam. Ab Oriente vallis duo sunt montes; subsiste in monte ad dextram sito, indeque viam pergens ad locum Arîn herbis fragrantem, semitasque in colliculis, tenui tectis arena, tortuosas sequens, quaere sub clivi radicibus cor, quod in glareola vallis amissum ibi errat; incolisque eius loci salutatis dic, me ibidem cor reliquisse defatigatum. O qui terram Negd incolitis, nullane Vos invadit misericordia amore capti, e vinculis liberari nolentis? Nunquamne celeribus vesperae auris salutem desiderio Vestri languenti adportandam mandastis, qua reviviscat qui consortio Vestro orbatus est, per iocum puta, quamvis sit persuasus iocum vos non decere. O! Tu, qui amatorem vituperas, dolorum ipsi sustinendorum nescius, morae quid concede! aberrasti a proposito! Temet ipse defatigasti commonendo eum, cui nihil curae est, nisi ut felicitatem prosperitatemque non curet. Desiste incepto Tu, quem Deus averruncet, missum fac eum, cuius pectori vulnera inflixerunt eminentes amicae oculi. Fuisti mihi amicus, priusquam amore deperditum admonendo lacessisti; num unquam amore captum cum admonitore familiaritates iunxisse vidisti? Si emendationem mei cupis, equidem nolo ut pectus amore corruptum, ut putas, in meliorem statum redigatur. Quid demum volunt reprehensores vituperando hominem, qui, ad suum arbitrium vivens, quietem invenit discedens a suis? Eia! Amici, num vestram consuetudinem desideranti sperare licet ut, voti sui compos, pectore tandem quietem sentiat? Ex quo tempore a me remoti fuistis, gemitus mei plagas Aegypti implent; quum vero Vestrum recordor, prae laetitia memoriae Vestri iucundae quasi ex mero vacillo. Quod si ad violandum foedus sollicitor, hoc renuit animus. O! beatos dies, quos cum ami-

cis peregi, quorum consortio noctes nuptiarum gaudiis aequales factae sunt! ubi Mekkam sacram pro patria, incolasque terrarum, fruticibus Ghadae abundantium, pro defensoribus habui, e fonteque sacrato libere bibi. Homines ibi habitantes fuerunt desiderium meum, umbra palmarum gaudium animi et in arena vallium quies mea. O! tempus illud faustum et bonum, quo liber omni eram cura et aerumnis. Per Mekkam, per sanctum Abrahami sepulcrum, per quemcunque ad domum Deo sacratam, ritus pios persolvendi caussa peregrinantem obtestor, Eurum, quotiescunque artemisiam in collibus deserti quassaverit, suavi fragrantem odore a vobis mihi adducere salutem."

Paraphrasis sophica secundum ʿAbdu-l-Ghany: Fulgor lucis aeternae in deserto vitae mundanae effulsit, an ipse maiestatis divinae splendor in mundo coelesti mihi adparuit, an vero revelatio aeterni amoris, qui tenebras mundi sensualis dispergens auram puriorem, immensa beatitudine perfusam et spiritus divini lumine collustratam, animo meo offert? Heus viator, perpetua constantia violentas libidines continere qui es edoctus, quum via tentationum peractâ, invictus vallem tutam adgrederis, ubi summus Dominus servis fidelibus immediata se aperit manifestatione, flecte viam in lucum amoenissimum, in quo ego etiam divitias revelationis divinae animo percepi. Duo ibi stant colles, alter animi, cordis alter; subsiste apud priorem, animumque ita dispone, ut altum illud attingat culmen, quo animi humani cum divinitate in unum coalescunt; quod ubi ipse fueris expertus, quaere cor meum ibidem circumvagans, indesinenter veritatem quaerens unam et summam, qua omnes Dei qualitates omniaque Eius comprehenduntur nomina; salutem dic omnibus piis et religiosis, qui aeterna illa veritatis luce fruuntur illosque certiores fac, memet apud illos ipsos reliquisse cor meum amore et desiderio aeternae veritatis adustum. Nullane Vos, qui in altissimo habitatis sapientiae et sanctitatis culmine, nullane Vos capit misericordia mei, admiratione Vestri percussi et in vinculis desiderii amorisque flagrantissimi detenti, nec tamen libertatem e servitute hac optantis? Cur in me ab omnipotente non effusus fuit spiritus divini afflatus, quo Vos inspirati estis? Tunc enim vita fruerer spirituali et beata; nunc vero illusione sensuum capto privatio vitae altioris aequiparanda mihi videtur infelici conditioni amatoris, amore dilectae defraudati, quamvis interne sim persuasus, Deum cum hominibus non ludere. Stulte, qui sincero et ardentissimo in Deum amore captum vituperas, si-

ste laborem inutilem; ipse enim te defatigas nullum unquam fructum capturus. Noli me infestare, qui sum omnis demersus in consideranda gloria Omnituentis. Fuisti mihi olim amicus, mei in Deum amoris nescius, nunc vero frustra me lacessis — nihil enim commune iam habemus. Si emendationem mei desideras utque ad vitam pristinam revertar, scito talem a me emendationem minime exoptari. Ruptis enim omnibus, quibus in mundo vulgo continentur mortales amicitiae et familiaritatis vinculis, nihil curo, nisi id unum, ut in divina acquiescam veritate. O! Deus, pie colende, nonne illi, qui veritatis aeternae adyta penetrare avet, spes est fore, ut quietem tandem inveniat? Quum sensuum vi fascinatum coelestis Tua lux me fugeret, dolore percussus eiulavi, resonuitque meis plangoribus aether. Ut vero ad me rediens fulgore maiestatis Tuae refectus sum, incaluit animus summa gestiens laetitia. Quod si ad violandum foedus quod cum anima mea primo creationis die pepigisti, sollicitarent me mali genii, nihil unquam proficient, ab hoc enim abhorret animus. O! beatos dies, quibus anima mea in nocte quievit aeternitatis, in domo imaginum incorporearum in omniscientia Dei, sitim e vivo restinguens fonte sapientiae, summamque habens delectationem in concentu orbium coelestium et immediata intuitione veritatis divinae legumque divinarum. O! tempus, ter quaterque beatum, quo liber eram aerumnis et laboribus! Per unitatem Dei, per religionem unice veram, per unumquemque indefesso studio secreta rerum principia rimantem obtestor, nullo unquam tempore in lumen vitale vocari odoram herbam, nisi eodem momento adflatu aeterni spiritus Tui reficiamur.

P. 1. Linea 10 *Mundus Imperii* عالم الامر vel *Imperium Dei* vel *Res Dei* امر الله, in libro auctoris Algurgâny nulla declaratus definitione, saepius in operibus Sophorum nomine عالم الغيب insignitus, mundus est occultissimus, in quo Deus absolutus omnino et unus ponitur. Primum, quod unus ille, per se necessario existens واجب الوجود بذاته procreavit, *anima imperatrix* الروح الامرى apellatur, vel *anima summa* الروح الاعظم vel *mens prima* العقل الاول. mediante hoc primum creato ente, quod per aliud (quod est Ens absolutum) necessario existit واجب الوجود بغيره et per se possibile est quoad existentiam ممكن الوجود بذاته ceteri omnes et invisibiles et visibiles creati sunt mundi. Cf. Ibnu

Sînâ in libro كتاب الملل والنحل ed. Cureton T. II. p. 380 et Libr. Definitionum.

P. 1. Lin. 13—14. Versuum, quos affert commentator ex Al-Kur'âno, prior e s. 54 v. 50, posterior e s. 17 v. 87.

P. 1. Lin. 15. In C. L. legitur مداومات pro معدومات quod in C. P. habemus.

P. 1. Lin. 16. Vide Suram Alkur'âni 28 v. 88; qui mox sequitur versus e s. 55 v. 26 est; qui in linea 17 continetur e s. 34 v. 47 et qui affertur in linea 18, e Sura 21 v. 18.

P. 1. Lin. 20. In C. L. pro لكل اسم legitur كل.

P. 1. Lin. 23. In C. L. post vocem مع omissum est الحق et ante vocabula فى الوجود addita sunt فالحق هو الموجود et post vocabula قدرا مشتركا, quibus linea desinit, additum est حينئذ مع الحق الذى هو خلافه ايضا ubi sine dubio particula و inter الحق et الذى supplenda est.

P. 2. Lin. 1. In C. L. vox لا omissa est post التى.

P. 2. Lin. 6. Post voces الماهية به in C. L. pro periodo a فان incipiente usque ad فيه legitur فانه لا اختلاف فانه الاختلاف الواحد.

P. 2. Lin. 26. In C. P. vox موجود deest post وليس شى.

P. 2. Lin. 9. In versibus e Diwano 'Afîfu-d-dîni-t-Tilimsâny citatis magna est differentia in codicibus. Loco vocis وجود, qua incipit primum hemistichium et desinit, in C. P. legitur وجودى In Diwâno ipsius poetae, quem in Museo Britanico consului, primum hemistichium verbis ان يقال وجود pro ان اقول وجود desinit. In secundo disticho pro نعت الكمال, quod in C. P. et Diwano poetae habemus, in C. L. legitur نقص الكمال. Loco vocis يقود, qua desinit distichon in C. L. et in Diwâno, in C. P. vocabulum occurrit, quod non satis bene legere potui, attamen معود simile videtur. Secundum lectionem, quam adoptavi, versus qui de metro طويل sunt, sic redderem: "existentia (sufficiatque ut dicam *existentia*) munificentia est Dei et liberalitas e Deo in Deum emanans. Maior est quam cui epitheton perfectionis attribui possit, quippe quod ad imperfectionem in Eo supponendam adduceret. Perfectio vero eiusque contrarium Deo insunt e Semet ipso, in Eoque coeunt in unitate aeterna." De Sopho 'Afîfu-d-dîn cfr.

D'Herbelot T. III. p. 452, ubi male appellatus est Telmessâny pro Tilimsâny.

P. 2. Lin. 12. Versus, a commentatore e Diwâno suo citati, metri طويل sunt: "Quae exstant in mundo vera carent existentia; nam per Deum et e Deo apparent ad Eumque revertuntur. Non sunt nisi corpora opaca, quibus se induit lux: recta ducuntur via aut ab ea aberrant ad normam scientiae Divinae; Dei enim una est et aeterna scientia rerum, in infinitum variarum." Doctrina haec, in operibus Sophorum in infinitum reiterata et diversissimis tractata modis, definitioni, qua الوجود declarant, superstructa videtur. Est enim الوجود apud Sophos ens, quod, quovis alio neutiquam egens, per semet ipsum existit; eique oppositum est العدم. Quae absoluta et vera existentia quum non nisi Enti summo insit, dicta fuit الحق veritas, cui opposita est الباطل vanitas i. e. finitum, quod in semet ipso veritate carens, externam et perituram, qua gaudet, existentiam non nisi Enti debet Infinito. Quod si externis et finitis attribuerimus entibus existentiam per se, dualismum profiteremur, quo nihil apud Islamiticos horridius. Una igitur eademque sola inest creaturis omnibus existentia et nulla inter easdem intercedit differentia, nisi accidentalis illa, quae in forma, et genere et specie aliisque, quibus terminatae et a se invicem discretae sunt, consistit.

P. 2. Lin. 15. Quotiescunque Sheikh summus الشيخ الاكبر citatur, toties in C. L. epitheton الكبريت الاحمر سيدى [sulphur rubrum (h. e. aurum), dominus meus] una cum nomine محيى الدين بن العربى additum est. In C. P. plerumque desunt. Celeberrimus fuit Sophus, in Hispania natus et anno H. 638 mortuus, ut statuit auctor عبد الله الشعرانى in libro suo لواقح الانوار فى طبقات الاخيار de quo cf. Hammer Rosenflor des Geheimnisses von Shebisteri p. 32. Peregrinatus fuit in Africa, Aegypto, Syria, Alhigâz terrisque Turcis subiectis et ubicunque copiosissima composuit opera, in quibus Sophorum doctrinam et versibus et prosa tractat. Commentator noster, qui perplurima ex operibus eius citat, principem eum dicit sectae sophicae المحوية appellatae, cuius instituta et praecepta scientia utili comparanda et operibus honorificis exercendis continentur طريقته العلم النافع والعمل النافع. Vd. D'Herbelot, et Sacy in Vies des Sofis in libro Notices et Extr. T. XII. p. 354. Quos heic refert versus metri طويل sunt: "Si ex oriente rutilat fulmen ad orientem se vertit amator,

si ex occidente, ad occidentem: amore enim fulminis fulgorisque, minime vero terrarum desiderio et locorum sum captus." Dicit commentator alio quodam loco, ubi duo haec disticha citat, poetam per occidentem Syriam intendere, ex qua lumen effulsit prophetarum; per orientem vero Mesopotamiam et Baghdâd, quae urbs inter Sophos personae sanctae قطب appellatae aliorumque habetur sedes sanctorum.

P. 2. Lin. 17. In C. L. عبد الهادى deest. In mox sequenti disticho legitur in C. L. فى مضنك ثانى et in C. P. periodus على انتى راض omissa est. Pro الغور, quod nolens retinui e C. P., legere maluerim الغورى. Sic igitur distichon, quod metri طويل est, redderem: "heus fulgur super depressas deserti terras corruscans, in fulmine tuo mihi mors; fulge vero, nam contentus sum." De Sopho عبد الهادى nihil mihi innotuit.

P. 2. Lin. 19—22. In his versibus, qui metri وافر sunt, non differunt codices, praeterquam quod in ultimo disticho in C. L. ابسمت عشيت legitur pro ابتسمت عشية: "moram trahe, fulgor rutilans, tu, cuius in occasu mihi affulget lux; nunc micas, nunc occidis, locis dilectus et habitaculis. Num nitida es facies Selmae, qua revelata obstupet pectus amore ardens, an ipsa mihi arridendo, vespere valedicens, vitam dat ex ore casto."

P. 3. Lin. 4. Vd. Alkur'ân s. 24 v. 35.

P. 3. Lin. 6. In C. L. desunt verba e وبنجد usque ad المتوجه in linea 8.

P. 3. Lin. 9. Pro بتنجلى in C. L. legitur بتسلسل.

P. 3. Lin. 14. Vd. Alkur'ân s. 39 v. 69.

P. 3. Lin. 18. In disticho, e Diwâno Muhii-d-dîn allato, quamvis in duobus codicibus et in libro ipsius poetae, ترجمان الاشواق inscripto, ثم غيلان legitur, particulam ثم in و, quam poscunt sensus et metrum طويل, ausus sum commutare. Quo facto sensus oritur hic: "nobis (amatoribus numinis Divini) exemplum praestant imitandum Bishr cum Hinda, eiusque soror (cum amatore suo) et Keis cum Leila, et Maya cum Gheilân. Ipse Muhii-d-dîn in commentario, quo Diwânum suum illustrat, dicit se sorore Hindae باختها innuere جميل بن معمر مع بثينة وبياض ورياض وابن الدمينة ولبنى وغيرهم quae vero verba a commentatore nostro in ipso hoc loco referendo omissa sunt. Paria scilicet enumerat amantium in-

ter Arabes celebratorum. De Maya et Gheilân, saepius cognomine ذوالرُمَة noto, vide Ibnu Khallikân, vers. Angl. G. de Slane T. 11. p. 447 et Hamâsa ed. Freytag in plurimis locis. De Keis, qui saepius مجنون appellatur eiusque amatrice Leila, vd. Anthol. Gramm. ed. S. de Sacy pgg. 150 et 211. De Gemîl et Butheina vd. Ibnu Khallikân vrs. Angl. T. 1 p. 331. De Hinda vero et Bishro aliisque in commentario enumeratis amantibus quaerendo nihil investigare potuimus.

P. 3. Lin. 26. In Diwâno poetae legitur فاجدى pro فاحرى omissa praepositione من, quae immediate sequitur.

P. 4. Lin. 2. Vita grammatici ابن القوطية reperitur in Ibnu Khallikân ed. Wüstenfeld sub numero 761. De ابو منصور موهوب بن احمد الجواليقى, qui in linea 5 citatur vd. Relation de l'Egypte par Abdu-l-latîf ed. S. de Sacy p. 484.

P. 4. Lin. 4. De grammatico ابو العباس بن يحيى ثعلب vd. Ibnu Khallikân vrs. angl. G. de Slane T. 1 p. 83.

P. 4. Lin. 9. Pro الحدود legitur in C. L. الحدث et quae in linea 10 leguntur verba على ما هى عليه usque ad فالعوالم in linea 11 in C. L. omissa sunt. Quae in linea 12 occurrunt verba ونفى الظهور باعتبار in C. L. desunt. In verbis وسبحته عنها وهو عين تسبيح كل شي in linea 14 male legitur in C. L. عن pro عين, quod e C. P. recepi. Neque haec omnino placet lectio; videtur tamen defendi posse, si priori تسبيح abstrahendi, posteriori vero laudandi significationem attribuimus, in fine periodi voce له subintellecta. Non enim homines soli Deum laudant, sed omnia quae in universo sunt, ut dicitur in alkur'âno وان من شى الا يسبح بحمده. Quae in hoc loco a commentatore disseruntur, doctrinam respiciunt Sophorum, qua contendunt mundos universi omnes, et quae iis insunt ex aeterno in scientia Dei exstitisse, sicuti palma in nucleo existit; quam ob caussam etiam apellantur معلومات الاعيان vel الثابتة فى علم الله i. e. prototypi in scientia Dei contenti. Ad quos quum se dirigit vox divina creatrix امره القديم aut الكلام الالهى aut الذكر الحكيم (de quo cf. Beidhawii comment. in Alkur'ân ed. Fleischer S. 3 v. 51) vocabulum كن eloquens, formas induunt visibiles et, terminis finibusque circumscripti, in existentiam mundanam العالم prodeunt. Ipsi vero prototypi in existentiam non prodeunt; sed quae nobis apparent non nisi umbrae sunt, e luce Dei in eosdem incidente, proiectae, essentia carentes, quae nec existentiam neque non existentiam sibimet ipsis poscentes (الممكنات)

cito in nihilum, ex quo ortae sunt, recedunt (معدومات). Quod si ad externas has formas, quibus umbra apparet lucis aeternae, et ad hancce lucem ex infinito ente emanantem respiciatur, et mundos existere et Deum percipi, si vero ad intimam Dei substantiam et prototypos rerum, qui soli vera gaudent existentia, nec Deum neque mundos apparere contendunt.

P. 4. Lin. 21—26. In hisce versibus, a commentatore ad normam metri طـويـل concinnatis, litteram ى, quibus quatuor terminantur disticha extrema, e C. L. للاشباع retinendam duxi. In C. P. deest. In C. L. vox عنه in tertio disticho omissa est, et in quinto فيض legitur pro بيض. Sic mihi disticha reddenda videntur: "existentia mea et rerum existentia una eademque est; nihilo minus illae a me diversae et ego ab illis diversus: attende ad dicta animum, et e visione mea exemplum cape. Una est et aeterna existentia, cuius a gratia omnes, quae in universo exstant, res profluunt. Absit ut divisum supputetur absolutum ens; cui quum luberet ut nobis in vinculis quasi appareret, quod in summa Eius sapientia latuit, diversis in aeternum depictum coloribus manifestavit. Nec variis hisce rerum imaginibus, faustis infaustisve, ulla inest existentia nisi ex eo."

P. 5. Lin. 13. In C. L. post vocem الارض periodus a يحجوبها incipiens usque ad voces وهو خلاف in linea 14, omissa sunt.

P. 5. Lin. 20. De gradibus et stationibus, quae viam Sophorum ingredientibus superandae sunt, priusquam eo usque perveniant, quo oculo, nullis rerum externarum apparitionibus obscurato et perturbato, a Deo ipso manifestationes تجليات offeruntur, vide Dabistân anglice versam a Shea and Troyer T. III p. 266 sqq. et Sacy in Vies des Sofis in Notices et Extr. T. XII et Hammer die schön. Redekünste Persiens p. 346.

P. 5. Lin. 21. In duobus codicibus legitur باحد pro احدى, quod regula grammatices posceret.

P. 5. Lin. 26. Cuinam poetae debeatur hic allatum distichon, ad normam metri كامل concinnatum, non liquet. Mox vero in linea 27 sequentis distichi auctor est خليد - - - بن عباس. Legitur quoque in Hamâsa ed. Freytag p. 603, unde والراقصات recepi pro والرقصات quod in duobus nostris codicibus habemus. Versus Al-Kur'âni in linea 29 allatus e S. 14 v. 49 est.

P. 6. Lin. 2. Legitur in duobus codicibus وظهور قهرها pro قهره لها, quod, nullum in lectione codicum inveniens sensum, ex coniectura recepi.

P. 6. Lin. 11. De celeberrimo Philologo عبد الملك الاصمعى vide Ibnu Khallikân ed. Angl. G. de Slane T. II p. 123.

P. 6. Lin. 14. Videtur Lagrange male legisse اربنة pro اربنه; neque errorem correxit S. de Sacy. vd. Journ. de Sav. l. c.

P. 6. Lin. 18. Suspicor pro الجبل legendum esse الجسم vel جبل الجسم; sed lectionem duorum codicum mutare nolui.

P. 7. Lin. 5. Versus Al-Kur'âni citatus e S. 20 v. 13 est, ubi cf. Beidhâwii comm. in explicatione vocis طوى. De diversis aliis eiusdem vocis explicandi modis vd. كليات ابى البقى Boolâki editum anno H. 1253 p. 236. In mox sequente periodo quamvis in duobus codicibus ينطوى عنده والكاينات كلها طيا legitur, particulam و ante vocem الكاينات ex coniectura suppressi.

P. 7. Lin. 8. Versus, e poematis Muhii-d dîn citati, metri sunt بسيط et sic vertendi: "siste, quaeso, in dextra vallis porta, qua tentoria erexerunt: benedicat tibi Deus, una cum iis, qui te incolunt, vallis! homines in te collegisti, qui animus mihi sunt et anima et intimum iecur." De locutione لله دركى cf. Harîri ed Sacy p. 361.

P. 7. Lin. 12. In C. P. legitur الذاتيين et in C. L. الدنيين. Utraque lectio admitti potest: الدنيين tamen scripsi, quae linguae Sophorum peculiaris est vox. Cfr. Sacy: Vies des Sofis in Notices et Extr. T. XII. p. 303.

P. 7. Lin. 26. Statuit Algurgâny محو eum significare statum Sophi, quo actiones eius in actiones Dei evanescant, ita ex. gr. ut quum manu quid proiiciat, non sit manus eius, quae proiiciat, sed manus Dei. Vocibus تتجلى السر الباهر innuere videtur commentator statum ardoris الحرق appellatum, qui medius est inter محو et طمس. Voci الاسر, quae deest in C. L., significatio quaedam sophica inesse videtur; nullo vero alio loco eandem inveni in operibus Sophorum. Si vera est lectio, significare videtur hacce voce commentator, Sophum in hoc statu captivum quasi esse omnipotentiae Dei, ita ut, nulla ipsi manente libera voluntate, existentia eius in essentiam Dei transeat. Eum igitur indicaret statum, qui الطمس appellatur. Vocibus enim محق et محو et طمس eadem mihi videtur inesse significatio ac vocibus حرق et برق et طمس cfr. librum Definitionum sub hisce vocibus.

P. 7. Lin. 29. In expositione, quam facit in Journal des Savant S. de Sacy Anthologiae a Lagrange editae, vocem ايبطح,

quam Lagrange false gallice *torrent* reddit, minus recte *vallée étroite* vertit. Videtur diminutivam formam للتقليل diminuendi, non للتعظيم amplificandi vel venerandi significatione declarasse. Cfr. commentatorem nostrum. تنيات اللوى sunt colliculi ad radices montium sabulo, quod converrunt venti, tenui et undoso tecti, super quos ducunt semitae tortuosae a gregibus armentorum tritae. أبيطح totus ille est tractus sabulosus et declivis, vallibus intersectus supinis et apertis, per quas torrentes hiemales saburram et glaream de montibus supra iacentibus in planitiem devolvunt.

P. 7. Lin. 21. In quibusdam exemplaribus Diwâni poetae nostri pro اهيله legitur عريبه. Priorem vocem praetuli, quia posterior, quamvis sit forsan elegantior, plerumque non nisi Arabes nomadicos significat. In vocibus واقرى et prima et secunda Hamzá, metro poscente, suppressa est. Quare *wakri* legendum. Scribitur in C. P. واقرى; in C. L. et in alio exemplari poematum, littera ى suppressa, واقر. Ultimum huiusce versus hemistichium male sic vertit Lagrange: "quand j' ai quitté votre ami, il soupiroit ardemment après votre présence." Quam versionem nulla correxit animadversione illustris Sacy.

P. 8. Lin. 17. Versus, e Diwâno commentatoris relati, metri طويل sunt. In C. L. mutilati leguntur. Deest scilicet hemistichium خلق تكثر عدهم et pro voce له, qua desinit tertium hemistichium, legitur لديه et pro فجميعنا, quod e C. L. recepi, in C. P. habemus فجمعنا. Secundum lectionem, quam secutus sum, sic mihi versus vertendi videntur: "in multiplice eodemque uno, o homo, laetare, ad quem laudandum per saecula ab Ipso creati sumus omnes. Mirabundus adspice res, per Ipsum in infinitum augescentes, Ipse quamvis sit augeri nescius. Creaturas mirare continuata serie semet propagantes et in infinitum varias, quarum aliae sunt invidae, aliae invisae. Omnes vero imagines eius sunt, naturae legibus subiectae, variamque referunt Essentiae Eius speciem, aut acquisita aut innata gaudeant scientia." Classe حسود eos intendere videtur poeta, qui, prae ceteris in numinis favorem recepti, immediata quadam intuitione علم ذوقى aut علم وجدانى diversos Dei percipiendi modos perspiciant, eamque ob caussam sibi colligunt invidiam aliorum الحاسد, qui gratia hac Dei destituti, molestiis et aerumnis portandis notitiam qualemcumque entis supremi sibi adquirunt. Idem videtur sensus esse verborum طوارف et توالد de quibus cfr. Harîri ed. Sacy p. 54.

P. 9. Lin. 6. De celeberrimo opere grammatico, مغنى اللبيب inscripto, eiusque auctore ابن هشام vide Anthol. Gramm. ed. Sacy p. 185.

P. 9. Lin. 20. De زهير بن جناب aut حباب, ut scribitur etiam nomen eius, vd. Meidani proverbia ed. Freytag T. III. p. post. p. 315. In disticho, e poematis eius allato, particula ل cum كل coniuncta لام التقوية est, de qua particula cfr. librum iam citatum كليات ابى البقى p. 312.

P. 9. Lin. 21. De poeta كرب أمرو بن معد vide Hamâsam p. 73.

P. 9. Lin. 23. Vita philologi يعقوب بن سكيت legitur in Ibnu Khallikân ed. Wüstenfeld sub N:o 837.

P. 10. Lin. 2. Versus e poematis As-safy-l-Hully allati et ad normam metri وافر compositi, sic vertendi videntur: — "et equa hinnitu ad impetum irruens, cuius ungula, scintillas excudens, igni similis videtur flammescenti: si ventus cum ea contendit celeritate, prosilit et pulverem pede suo, vento simili, excutit. Figura rhetorica تلميح utens, rationem habet poeta verborum, quibus incipit sura Al-Kur'âni 100:ma. De constructione ضبحا cfr. Beidhawii Comm. T. II. p. 413 De figura عكس التشبيح quae saepius تشبيح مقلوب appellatur cfr. librum كليات ابى البقى p. 110. De poeta As-safy-l-Hully v. D'Herbelot T. III. p. 153. Citatur etiam in Darstellung d. Arab. Verskunst ed. Freytag p. 387 et in aliis locis ubi Al-Hilly appellatur.

P. 10. Lin. 9. Versus Al-Kur'âni heic allatus e S. 19 v. 15 sumtus, et qui in linea II. citatur e sura 19 v. 15; quae in linea 16 occurrunt verba, e S. 34 v. 11 petita sunt.

P. 10. Lin. 19. Vita grammatici الازهرى reperitur in Ibnu Khallikân ed. Wüstenfeld sub N:o 650 et vita grammatici ابن فارس in linea 23 citati, ibidem sub N:o 48

P. 10. Lin. 26. Loco اى, quod ex coniectura scripsi, in duobus codicibus ان habemus.

P. 10. Lin. 28. Pro وبايه قطع, quod e libro مختار الصحاح recepi, in duobus codicibus legitur وقد مزح يمزح.

P. 11. Lin. 9. De significatione, quam vocibus استدراج et مكر subiiciunt Sophi, vd Sacy in Notices et Extr. T. X. p. 45 et Dabistân angl. vers. a Shea and Troyer T. III. p. 274.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-13110/fragment/page=00000021

P. 11. Lin. 13. Versus ex Al-Kur'ano citatus e S. 21 v. 16 est.

P. 11. Lin. 17. Cum hac doctrina Sophorum confer iucundissimum distichon Faridianum: صبا ان الغرام هو الحياة فمُتّ به. فتحقك ان تموت وتُعذرا. Voluntaria haec mors vera est apud Sophos vita in Deo.

P. 12. Lin. 6. In C. L. deest periodus a voce ان incipiens usque ad للعاذل in linea sequente.

P. 14. Lin. 2. Versus metri وافر, e Sopho Negmu-d-dîn citati, in C. L. mutilati sunt et hiantes. In secundo hemisticho legitur فى pro فما: in tertio راين pro واين, et in ultimo vox بعد omissa est. In C. P. pro voce تنجدى, quam e C. L. retinui, legitur تنجد. Vox الدلال in C. P. articulo caret. Exit hic versuum sensus: "amantes reprehendens quum sit in errore, quid mihi cum reprehensoribus? Num unquam prudens factus est reprehensione amator, amore proreptus amicae? Num prodest vituperatio amanti puellam, delicato incessu hilariter ambulantem? Obturat amator aures, nec consiliis auscultat." De Sopho Negmu-d-dîn-i-bnu-Isrâîl, cuius e poematis saepissime citat commentator noster districha, nihil mihi adhuc innotuit.

P. 14. Lin. 7. In C. L. vox جعل deest et حتى, qua desinit linea, et periodus in linea 8 a فانى incipiens et voce الصلاح finiens.

P. 14. Lin 12. Pro بالنسبة in C. L. legitur بالنية.

P. 14. Lin. 15. Pro خفى in C. L. habemus اخفى. De hocce dualismo occulto vd. Sacy Vies des Sofis in Notices et Extr. T. XII. p. 389.

P. 14. Lin. 19. Cum doctrina, heic tractata, confer quae alio quodam loco commentarii sui affert Abdu-l-Ghany: كنى بالمصباح عن العقل النورانى لانه مصباح يستضى به الانسان فى ظلمة الاكوان فاذا طلع صباح نور الوجود الحق اغنى عن انوار العقول كما قال صلى الله عليه وسلم اتقوا فراسة المومن فانه ينظر بنور الله وينطق بتوفيق الله.

P. 14. Lin. 24. Distîcha haec metri بسيط sunt: "amore meo erga Vos, animos reprehensorum perturbavi, ita ut veram meam conditionem nullo modo perspiciant. Sunt qui amore deperditum et aegrotantem, sunt qui curis liberum nihilque curantem me di-

cant: a vobis declinavi, omnis vero, amore captus, ad Vos me inclino: sic hoc et illud idem est. Absenti mihi adestis in pectore, a quo ne punctum quidem temporis abestis." In lingua Sophorum erotica خالى appellatur, qui angorem et aerumnas non agnoscit amoris, et si ad amorem respiciatur erga Deum, is est, qui in rebus divinis suo agit iure منكر.

P. 15. Lin. 7. In C. L. lacuna est a voce من incipiens usque ad vocem كذا in linea 9.

P. 15. Lin. 17. Haec quoque disticha a Negmu-d-dîn, ad normam metri بسيط concinnata, pluribus in C. L. laborant erroribus. Pro عذل بالمصغى الى legitur عذلى بالمصطفى لى. In 6:o hemistichio لو pro له: in septimo يستشير pro يستثير: in 10:mo اعى pro احى: in 17:o راموا pro ذموا. Retinui tamen e C. L. in primo hemistichio عاذلى pro عذلى, quod habemus in C. P., et in ultimo عدل pro عذل, quod in C. P. legitur. Secundum lectionem, quam adhibui, sic vertendi versus: "reprehensionibus, culpator mi, aures non praebeo; oculi enim et aures et cor aliis occupati sunt rebus. Quid curat reprehensiones amator, cuius voto oculis adnuit amatrix; amator, cui, suavi amicitiae halitu inebriato, pocula amoris recusatione et taedio non sunt mixta. Non is ego sum, cui flammam amoris accendat fulguris ictus, longa dum itineris mora vestigia domicilii ab amica relicti perlustret, neque me desiderio incendunt ignes, quos oculis praeditae eminentibus virgines in tribu Leilae accendunt. Mihi media nocte consortium praebet soli similis*) amica, cuius facie nitida erubescit luna, cuius oculi nitent nigredine nativa, qua dorcades suos infucare gestiunt oculos, cuiusque statura, dum gracili corporis iactatione incedit, arbori Bân praestat. Dum vulgo queruntur amatores de iniuriis sibi iniuste illatis, ego quidem gratias refero Tibi, propitie, qui summa es pulcritudo, animaque vitae, universi principium, domitorque heroum indomitorum." Splendidum inest ultimo disticho exemplum figurae rhetoricae طباق dictae, tria exhibens in primo hemistichio vocabula ذموا et جور et معتدل, quae totidem vocabulis in altero hemistichio اشكر et عدل et نو ميل opposita sunt. Appellatur معتدل الغامة aut معتدل amatrix,

*) شمس الضحى nomen est amatricis poetae; quod vero paraphrasi explicavi ut contraria appareat significatio, quae inter duas hasce voces et voces وهنا et يمسى intercedit.

quae erecta praedita est statura, cui opposita est ذو ميل aut متمايل. Versum vero reddidi explicatione, quae sensui Sophico mihi aptior videbatur.

P. 16. Lin. 4. Ex coniectura مظاهرة scripsi pro مظاهر, quod in duobus codicibus legitur.

P. 16. Lin. 24. In hisce distichis, a Negmu-d-dîn ad normam metri رجز concinnatis, non differunt codices, nisi quod in C. P. جرأياه legitur pro جرويا. "Te, cuius adspectu perfecta est laetitia, in omni universo apparentem desiderant animi, si praesens sis aut absens. Sempiterna est nobis revelatio Tua, quare absit terror; qui enim Te amat, si metuit, errat. Carperis oculis omnium revelatus; facies enim Tua flore est nitentior, clarior luce." Vocabulo غيرة in 3:o disticho occurrenti, significationem terroris خوف vel desperationis يأس tribuens, sic huncce versum ad doctrinam Sophorum reddendum putavi; quod si ad ipsa verba poetae moremque amantium respiciatur, hic inest disticho sensus: "quum semper mihi consortium praebes, o amata, absit zelotypia; errat enim amator, qui zelotypia laborat erga amicam, cuius nunquam non utitur sodalitio.

P. 17. Lin. 15. Tria disticha metri كامل, e poematis eiusdem sophi citata, sic vertenda videntur: "amore Tui inebriatus desiderioque ardens vehementi, pocula, memoria Tui impleta, vespere exhaurio; nulla enim sunt amatori pocula nisi recordatio: quocunque circumspiciam, Te solum video et ad Te unum me ducit cogitatio."

P. 17. Lin. 18. Disticha, a commentatore ad normam metri بسيط hoc loco ex tempore concinnata, sic verto: "vinum, quo ebrius ego, in amica recordanda, laudanda et agnoscenda consistit; omnique tempore vacillo ex amore, cuius arcanum animum perrepit. Quis servum emit vitiis laborantem, animo turbatum e vino recordationis? Acceptus non est servus nisi domino, qui benignus eum, beneficii haud immemorem, educavit. Servum novit dominus; ipsi igitur reddite eum, quem nemo alius emit."

P. 17. Lin. 25. Pro ذهوله legitur in C. L. ذهول et الذكر pro الذكر له.

P. 18. Lin. 3. In C. L. vox كل deest et in C. P. من كل legitur. Respicit commentator ad foedus, quod cum omni anima, priusquam corpori indita fuerit visibili, fecisse contendunt Islamitici

Deum ex aeternitate يوم الست. Cfr. Sacy in libro Le livre de conseils p. 68 et Al-Kur'ân S. 17 v. 171.

P. 18. Lin. 15. Verba ex Al-Kur'âno allata e S. 14 v. 5 sunt.

P. 18. Lin. 20. Vita grammatici محمد بن زياد بن الاعرابى qui praeceptor fuit Tha'labi, reperitur in Ibnu Khallikân ed. Wüstenfeld sub N:o 644.

P. 18. Lin. 23. In duobus codicibus desunt voces او العلم, quas periodi complendae caussa ex coniectura addidi. Verba Al-Kur'âni allata sunt e S. 57 v. 4.

P. 18. Lin. 25. Deest اصلا in C. L. Quae mox sequitur periodus a الى الوجود الاولى incipiens usque ad vocem ازلا in linea 26 omissa est in C. L.

P. 19. Lin. 6. Allatum heic e poemate Negmu-d-dîn distichon metri خفيف alio quodam loco libri commentatoris nostri sic legitur: منعتنا الصفات والاسما ان ترى دون برقع اسما. Quae vero cunque recipiatur lectio, hic exit sensus: "contegunt attributa et nomina amatricem Asmà, ita ut sine peplo adspici non possit."

P. 19. Lin. 9. Versus, ex Al-Kur'âno citati, sunt 43 et 44 e S. 53.

P. 19. Lin. 17. Tria enumerant Sophi momenta creationis, quae commentator hoc loco patrias appellat, scientiam Dei, voluntatem et verbum. Omnis enim anima priusquam, Deo imperante, verbo كن creata fuit, ab aeterno in scientia Dei exstitit. Cfr. quae p. 11 attuli.

Pag. 19. Lin. 23. Verba Al-Kur'âni, heic allata, e S. 25 v. 47 sumta sunt, et quae in linea 27 leguntur, e Sura 15 v. 19.

P. 19. Lin. 29. Primum horum versuum metri كامل hemistichium in C. L. voce ابدا finitur pro بباطن, quam e C. P. recepi. Sic vertenda putaverim disticha: "in omni natura apparentem, eundemque occultum omnes mundi adorant. Qui quum excelsa, quam tenet manu, virga tympanum angelorum pulsat, mundi ut carmina concinnantur." Voce ملا indicare videtur commentator الملا الاعلى (proceres supremi), quibus Abu-l-Bakà in libro suo الكليات p. 352 insigniri dicit nobiliores angelorum et animas prophetarum اشراف الملايكة وارواح الرسل.

P. 20. Lin. 1—5. In hisce ad normam metri كامل a commentatore compositis versibus leviter differunt codices. In C. P.

legitur غيب pro غيبة in secundo hemistichio; et in quinto خف pro حف. In C. L. vero وبمواكب habemus pro وبموكب Dubius haereo in voce عمايم quae in primo disticho occurrit. Nulla vero alia lectione in codicibus exstante, eandem retinui, auctoritate nitens Golii, qui significationem عماعم (vel عماعم ut, errore typographico puto, legitur in Lexico Freytagii) h. e. turbarum disgregatarum huicce voci inesse dicit. Sic igitur disticha verterem: "intimum Dei arcanum revelatur in infinita rerum evanescentium multitudine. Multos quidem errare fecit, nos vero recta duxit via, ad quos revelatio advenit agmine, cuius vexillarius est mundus visibilis, cuius tympana tundunt angeli superiores, dum tuba canunt spiritus aeterni; ultimus procedit mysteriorum ovantium satellitio circumdatus rex fatorum. Quae quum ita sint, fieri non potest, quin summa perfusi voluptate animi evanescant." Audacibus his distichis alludere videtur poeta ad abstrusam illam Sophorum doctrinam, qua Deum quinque praesentiae حضرة actibus concipiendum statuunt. Voce عَمَا respicit poeta praesentiam mysterii absoluti حضرة الغيب المطلق quae etiam غيب الغيب appellatur et in mundo idealium الاعيان الثابتة se manifestat. Spiritibus aeternis ارواح القضا alludit ad praesentiam mysterii relativi حضرة الغيب المضاف, cuius manifestatio est mundus animarum abstractarum عالم الملكوت والجبروت, in tabula fati لوح القضا inscriptarum. Angelis superioribus اجسام الملا intendit praesentiam relationis mysticae حضرة مضاف الغيب, quae se manifestat in mundo imaginum عالم المثال, quae inscriptae sunt in tabula sortis لوح القدر *). Mysteriorum satellitio موكب (** الاملاك alludit ad praesentiam evidentiae absolutae حضرة الشهادة المطلقة, cuius manifestatio est mundus possessionis عالم الملك, qui thronum Dei continet et elementa. Mundus الكون ad praesentiam complectentem الحضرة الجامعة spectat, cuius mundus est mundus hominis, universum et omnia, quae in eo exstant, comprehendentis. De intricata hac doctrina, quae levi quadam differentia a diversis Sophis explicatur et intimo nexu cum doctrina de septem gradi-

*) De differentia, quae inter قضا et قدر intervenit, vide librum كليات ابى البقى p. 281.

**) اَملاك pluralis haberi potest forma et مَلَك et مَلِك et مُلْك.

bus divinis المراتب الالهية cohaerere videtur, vide librum Definitionum et Sacy in Notices et Extr. T. X. p. 66 et Dabistân angl. versam a Shea and Troyer T. III. p. 238. — زمر nomen est omnium organorum musicorum, quae ore inflantur; peculiariter vero speciem (gallico Hautbois haud absimilem) tibiarum significat, quae inter hodiernos Arabes ارغل appellatur. Haecce tibia et tympana (طبل) sola fere sunt organa musica, quibus milites orientales in bello utuntur. Alia quaedam tibia persica voce نَی insignita una cum tympanis minoribus a Derwîshis usitata est in saltationibus mysticis, de quibus vd. Hammer die schön. Redek. Pers. p. 196.

P. 20. Lin. 18. De opere تسهيل inscripto vd. Anthol. Gramm. ed. Sacy p. 215.

P. 20. Lin. 30. Pro تواطن in C. L. legitur قواطنا. Utraque lectio falsa est. Vera الغاطنات legitur in Gr. Ar. ed. Sacy T. II. p. 182.

P. 20. Lin. 24. In duobus codicibus legitur يعشو pro تعشو, quod e poematis Amru-l-Keis a G. de Slane editis p. 40 recepi. In Gr. Ar. Sac. T. II. p. 501, ubi ipsum hoc distichon occurrit, legitur نعشو.

